





F. n. 25

1730, 15 F. 5. num. 20, 92

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

16

SISTENS

DIFFERENTIAS FEV-  
DORVM HÆREDITARIORVM  
ATQVE EX PACTO  
ET PROVIDENTIA TALIVM.

P. 332

QVAM

ILLVSTRIS FCTORVM ORDINIS  
IN ACADAMIA ERFVRTENSI CONSENSV,  
SVB PRÆSIDIO

DN. CONR. WILHELMI Streckerz,

33

J. V. D.

IVRID. FACVLT. ET JVD. ELECT. PROVINC. ASSESS. PROFESS. PVBL.  
ET SENAT. ERFVRT.

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IURE HONORES AC PRIVI-  
LEGIA RITE CAPESSENDI

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

AVCTOR

JOANNES FRIDERICVS Feönig  
CAMPODVNO - SVEVUS.

IN AVDITORIO IVRIDICO MAJORI,

DIE X. MAJII, M DCC XXX.

ERFORDIÆ,  
Literis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.



DISSENTIO IN UNIVERSALIS JURIDICA

DISSENTIO

DIFFERENTIAS FV-  
DORVM HEREDITARIORVM  
A TOME EX FACTO  
ET PRO IDENTIA TALIAM

IN ACADAMIA JURIS CONSENSV  
ORDINIS

ET PRO IDENTIA

DR. CONR. WILHELMI

J. V. D.

IN ACADAMIA JURIS CONSENSV  
ORDINIS

PRO LICENTIA

STIMVS IN TITULO TITVS HONORES AC PRIV-  
LEGIA TITVS CASSENDI  
PATRIS ERVINTORVM IN SOLITON SVBMITTIT

IOHANNES FRIDERICVS

IN AUDITORIJO JURIDICO MAJORI

IN ACADAMIA JURIS CONSENSV  
ORDINIS





DISSERTATIONIS INAUGVRALIS  
<sup>DE</sup>  
DIFFERENTIIS FEVDORVM  
HÆREDITARIORVM ATQVE EX  
PACTO ET PROVIDENTIA  
TALIVM,

§. I.



Inquisiturus speciminis inauguralis loco in differentias feudorum hæreditariorum atque ex pacto & providentia talium, haud abs re me facturum spero, si primitus non nihil de origine feudorum in genere spectatorum, maxime autem de natura & substantialibus eorundem dispiciam, non parum enim id conferet, ad eo facilius eruendas atque solidius cognoscendas modo dictorum duplicis generis feudorum differentias.

§. II.

Originem autem feudorum in genere spectatorum quod atinet, non una atque concors DD. est sententia, plerique enim in eam pedibus eunt, populis Germanicis

originem illam acceptam ferendam esse, sequentibus in-  
 nixi rationibus, quod non solum teste GROTIUS, Longobar-  
 di non magis, quam Gothi, Vandali, Allemanni, Franci,  
 Burgundiones, Angli, Saxones, nationes omnes Germa-  
 nica, qui partes optimas Imperii Romani bello occupave-  
 rint, suas singuli Leges aut mores de feudo habuerint *L.*  
*ii. de J. B. & P. cap. VII. n. 21.* Sed etiam 1) quod non alia-  
 rum nationum, sed soli rerum Germanicarum Historici,  
 feudorum faciant mentionem, uti lectio eorum cuivis o-  
 stendat, 2) quod solis LL. nationum Germanicarum an-  
 quis quædam de feudis constituta inveniantur, vid. LIN-  
 DENBERGIUS *Cod. LL. antiquar. Heigius L. i. Qu. i. n. 54.* 3)  
 quod nomina & formula in Jure feudali maxima ex par-  
 te sint Germanica, vid. *dd. Auctores item HOTTOMANNUS*  
*Tr. de verb. feudal. FREHERVS Comment. ad Constit. Caroli III.*  
*de feud.* 4) Quod feudorum institutum apte congruat in-  
 doli Germanorum antiquorum, quos utpote bellis ni-  
 mium quantum deditos, ut ex Tacito appareat, hoc sin-  
 gulare institutum militare introduxisse verisimile sit, 5)  
 quod etiam hodie feuda tere in sola Germania ac terris  
 olim a Germanis occupatis sint recepta, GROTIUS *d. Tr.*  
*L. i. C. 3. n. 23.* in Galliam autem a Francis, Germanico  
 populo, ( quicquid somniat FORCATVLVS *de Jure, auctor.*  
*& imper. Reg. Franc. Lib. V. p. 294.* narrans, Francos, qui  
 Gallia tandem potiti sint, Gallia ipsius merum genus me-  
 rosque delicias fuisse) in Italiam autem a Longobardis  
 introducta fuisse, 6) quod in aliis provinciis, ubi sedes  
 Germani non habuerint, usus feudorum haud vigeat, GRO-  
 TIUS *c. l.* ut in Hispania, teste ARIOPINELLO *Comment.*  
*in. L. i. Cod. de bon. matern.* LVD. MOLINA *de Jusit. & jure*  
*rr. ii. disp. X. n. 9. & disp. 405. n. 3.* 7) quod occasio & semi-  
 naria feudorum introductorum in Germania ex Tacito vi-  
 deatur deduci posse, utpote qui *Lib. de M. G.* pluribus tra-  
 dat, Principes amplo Comitatu studuisse, quem ex bello  
 aluerint & ad bellum conduxerint; de illis comitibus alia  
 inter ita scribens: infame in omnem vitam ac probrosum  
 fu-

superstites Principi suo ex acie recessisse: illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriae ejus assignare, praecipuum sacramentum est. Principes pro victoria pugnabant, comites pro Principe. His fidelibus comitibus concessa postea fuisse pradia, tum in ipsis Germanorum, tum etiam in occupatis bello terris, sub conditione fidei & servitii militaris &c. Haec sunt illae rationes, quas adducit STRUVIUS in *synt. Jur. Feud. Cap. 1. Aph. 2.* ad evincendum, primam originem Feudorum Germaniae populis tribuendam esse, ipsique ad stipulatur GIPHANIUS *Tr. de Jur. feud. Cap. 1.* & ex recentissimis HORNIVS in *Jpr. Feudal. Longobardico-Teutonica Cap. 1. §. 16.*

§. III.

Sed mira plane est illa duorum horum Auctorum sententia, quod *cc. ll.* existiment, Feuda Germaniae Populis, & non quidem solum Longobardis, sed & aliis, Francis Alemannis, Burgundionibus, Saxonibus originem debere, moraliter enim impossibile est, tot populos simul feuda condere seu instituere coepisse, & procul dubio unicus populus, quicumque demum ille, sive Germanicus sive alius fuerit, originem feudis dedit, ita ut nulli dubitemus, nostrum ex asse facere de hac re judicium Celeberr. MAVRITII in *post. jur. feud. contr. dec. 1. n. 4. vid. ejusd. dissertat. & opuscula junctim edita cum Praef. Hertii p. 699.* ubi calculum nostrae sententiae adjiciens, *Quando enim inquit, de origine rei quaestio est, prima ejus investigantur initia: ut feuda autem uno eodemque momento, nullo intercedente temporis intervallo, apud diversos & plures gentes coeperint, fidem omnino superat.* Rectius dixissent, feudorum originem ex Germania repetendam, id enim verum fuerit, si ostendatur, aliquem Germaniae populum primum coepisse feudis uti.

§. IV.

Ast longe antiquiorem esse feudorum originem, mihi cum Celeber. STRYCKIO in *Exam. Jur. Feud. Cap. 1. Q. 3.* persuadet ipsa scriptura sacra, utpote quae Genes. XIV. 4.

de Regulis nonnullis refert, quod postquam per XII. annos servissent Chedor-Laomer, tertio decimo anno desererint. Non sane video, aliud hic insinuari, quam Regulos illos Vasallos fuisse Regis Chedor-Laomer, nisi a propria & genuina vocis *servire*, contra notissimam regulam hermeneuticam; *A proprietate verborum non esse recedendum, donec id urgeat necessitas, significatum deserere velimus.*

§. V.

Equidem probe novi, quid hic excipiat HORNIVS in *Jurispr. Feud. Cap. I. §. 15.* verisimile nimirum esse, quod Reguli illi fuerint subditi vel tributarii Regis Chedor-Laomer, sed nullam hujus verisimilitudinis rationem adducit, præter quod provocat ad *1. Reg. IX. 21.* qui tamen locus ne hilum quidem confert ad verosimilitudinem conciliandam ipsius interpretationi loci *Genes. XIV. 4.* quid? quod nostræ potius favet, nihil enim illic dicitur, quam posteros qui remanserint ex Emoræis, Hitthæis, Perizæis, Hivæis & Jebusæis (utor versione Santis Pagnini) quos non potuerint filii Israël occidere, fecisse Regem Selomoh tributarios, qua ratione hinc verisimile fiat, etiam Regulos illos Regem Chedor-Laomer solum fecisse tributarios, mihi haud apparet, sed potius verosimilem id reddit nostram sententiam, dum sic ipsa Scriptura diversa plane adhibita phrasi manifeste satis distinguat inter *servire* & *tributarium esse*, perperam igitur HORNIVS præsupponit, quod probandum ipsi fuisset, idem nimirum denotare subinde in SS. *servire*, quam *tributarium esse*. Sed si vel maxime etiam hoc probatum dedisset, nondum tamen eo ipso verosimilitudinem interpretationi suæ hoc ipso conciliasset, siquidem tum non magis ipsius, quam nostræ interpretationi locus fuisset, phrasi enim aliqua duplicem sensum habente, quorum neutrum *ovvâφεια* textus excludit, haud major præsumptio militat pro uno, quam pro altero.

§. VI.

Procul dubio autem alteram interpretationem, quæ existimat subditos plane fuisse illos Regulos Regis Chedor-



dor-Laomer, nisi tributarii fuerint *Hornio* persuasit versio *Lutheri* qui reddidit; *Sie waren ihm unterthan gewesen*, cui versioni forsitan unice adhæsit, non consulto textu originario, qui solummodo, quod servierint, dicit, & ita reddidit non solum versio *vulgata*, sed etiam SANTES PAGNIVS, ARIAS MONTANVS, PISCATOR, atque INTERPRES ANGLVS.

§. VII.

Ast neque solus hic est locus, in SS. ubi implicite saltem, & quidem haud obscure mentio fit vasallagii, sed & alter adhuc luculentior occurrit II. Paralip. XXXVI. 13. ubi legitur, quod Rex Zedekia defecerit a Rege Nebucadnezar, quo ipso iterum nihil aliud indigitari videtur, quam Zedekiam Vasallum fuisse Regis Assyriorum, maxime, si attendatur ad II. Reg. XXIV. 18. ubi expresse dicitur, quod Zedekias XI. annis regnarit Hierosolymis; quomodo enim de ipso dici posset, quod regnarit, si merus Regis Assyriorum subditus & non nisi Pro-Rex fuisset. Haud enim usus loquendi permittit, ut de Pro-Rege dicamus, quod regnet. Et quamvis etiam contra hunc alterum nostrum locum HORNIVS excipiat *c. l.* dubium esse, num iuramentum, quod Zedekias Regi Assyriorum præstitit, tuerit foederis inæqualis, quo alter operam pollicetur, alter præsidium & tutelam, vel potius plenaria subjectionis, quod indicare videatur II. Reg. XXIV. 17. Forsitan tamen omnis evanuisse dubitatio hac de re apud ipsum HORNIVM, si probe perpendisset *seq. vers. 18.* qui autem plenaria subiectio ex *v. 17.* vel nullo modo colligi possit, non video, cum inibi solum dicitur, Regem Assyriorum novum Regem instituisse Zedekiam; quid? quod hinc potius verosimiliter inferre licet veritatem nostræ sententiæ, quod minime merus subditus Regis Assyriorum fuerit Zedekias, eo, quod constituerit Regem, non vero Pro-Regem solum, Hierosolymis.

§. VIII.

Cæterum vel exinde non parum probabilis redditur sententia nostra, feuda vetustiore longè habere ortum, quam

quam quidem a populis Germania & tempore ne quidem bis mille annis a nostro remoto, repetendus sit, quod unanimi fere consensu DD. tradunt potissimam illa ipsa in- & constituendi occasionem bella dedisse, dum victores sibi haud melius consulere posse facile animadverterint, quam si vi armorum occupatas terras, vel prædia, ipsis devictis pristinis possessoribus sub lege fidelitatis, præstandorumque servitiorum, redderent, hocque ipso animo ipsorum ita demulcerent, ut quantum fieri possit a novis moliminibus arcerentur. Ut ut enim hoc remedio scopus intentus haud semper fuerit obtentus, uti vel WITEKINDI Saxonum quondam Regis, post victoria autem CAROLI M. contra ipsum arma constituti Saxonum Ducis & Vasalli exemplo constat, utpote qui fere toties arma contra Victorem suum in manus remisit, quoties hic aliis bellis implicitus esset, & consequenter WITEKINDVS spem conciperet in libertatem plenariam se vindicandi; sapius tamen id ipsam speratum habuit effectum, toties nimirum fere, quoties nec nimium feroces devicti hostes, nec bellum injustum, quæntacula utique laborare videtur susceptum CAROLI M. in Saxones bellum, uti tantum non omnes fatentur, siquidem ipse ab hisce nec vel ullo modo laesus, vel saltem læcessitus fuit. Cum autem bella statim post diluvium geri cœperint, quis, re prope pensitata, putet, neminem victorum de consilio hoc tam obvio animos devictorum sibi reconciliandi atque devinciendi unquam cogitasse, sed tale quidem post bis mille circiter annos a diluvio alicui populorum Germania, pugno potius quam ingenio pollentium in mentem venisse.

## S. IX.

Sed opportunum nunc erit ad rationes Struvii paucis respondere & quod primam quidem attinget, illa non solum dubia, sed etiam manifeste falsa est. Ut ut enim in præsentiarum lubens suo loco relinquam, an nullus Historicorum aliorum, præter Germanos, populorum feudorum, saltim implicite, si non explicite mentionem injiciat, cum otium

otium tantum nunc mihi haud suppetat, ut sollicitius dictos Historicos evolvere possim, quod si fieri posset, mefendorum vestigia haud obscure deprehensurum haud sane despero; sufficit, in antecedentibus me ostendisse, vel ipsos Historicos sacros jam dum haud obscure feudalis instituti mentionem injecisse. Ast vel superflua hic defuagar probatione, & provocabo ad Gentem Asiaticam uti omnium remotissimam & nihil minus quam Germanicam, Japonenses nimirum, utpote de quibus MOLINA *disp. 465. n. 2.* testatur expresissime, apud ipsos nihil videri esse frequentius quam feuda; cum enim bellis perpetuo in ea ingenti insula Principes inter se contendant, antiquo inter eos more, quæ unusquisque bello obtinet, continuo dividere inter suos Duces, & alios, quos diligit, cum onere sibi serviendi in bello & alia onera præstandi &c. qui locus cum non solum cognitus STRUVIO fuerit, sed & ipsemet eundem *in Synt. Jur. Feud. l. c.* plane in extenso adduxerit, non satis mirari possum, qui asserere ibidem potuerit, quod soli rerum Germanicarum historici feudorum faciant mentionem, cum tam manifeste hoc suum assertum ipsemet refutaverit. Si autem quis forsam MOLINÆ hac in re fidem in dubium vocare veller, quod tamen ne Struvius quidem ausus est, illi alium testem, eumque fide dignissimum & omni exceptione majorem, sistam, Præsidentem nimirum negotiorum Belgicorum in Japponia, FRANCISC. CARON, *in descriptione veræ regni Japponensis*, ubi nos docet, feuda antiquissimum hunc populum & habuisse pridem, & etiamnum habere. Huic resti latus claudat similis, item de remota satis Asiatica gente, videl. *Si amenibus*, negotiorum nimirum item Belgicorum Gestor apud eosdem, SCHOVTENIVS, idem plane de feudorum hanc apud Gentem instituto commemorans *in Belgica ejus regni descriptione. Vid. MAVRITII Post. Jur. feud. contrav. dec. I. §. 5. in opusc. p. 700.*

§. X.

Secunda Struvii ratio, si vel maxime vera esset, de quo

B



quo nihilominus maximopere dubito, haud tamen foret sufficiens, nulla enim est consequentia: Solæ Leges nationum Germanicarum antiquæ constitutiones de feudis habent, ergo originetenus feudorum institutum Germaniæ populo est tribuendum; consuetudinarium enim cum sit jus feudale, quomodo concludere possumus apud nullam gentem feuda in usu fuisse, nisi quarum scriptæ leges eorum faciunt mentionem, nec sane omne jus consuetudinarium etiam postquam diu satis invaluit in scripturam redigitur.

## S. XI.

Non magis concludit *ratio Struviana tertia*, siquidem per jus illud feudale, in qua nomina & formulæ maxima ex parte Germanica esse dicuntur, nullum aliud procul dubio intelligitur, quam Longobardicum illud, quod sub inscriptione usus feudorum in nostro corpore juris civilis sistitur: quæ vero exin, quod in jure feudali certæ nationis Germanicæ nomina & formulæ feudales, maxima ex parte sint Germanica inferri vel probabiliter saltim potest: Ergo etiam Feudorum institutum illi nationi Germanicæ originem suam debet? an non pari ratione quis ita argumentari posset: In Jure feudali *Japonensium & Siamensium* nomina & formulæ sunt *Japonensia & Siamensia*, Ergo hisce gentibus origo feudorum debetur. Pari inconsequentia laborat etiam *ratio quarta*, nam non minus apte feudorum institutum congruit indoli aliorum populorum, quam Germanorum, utpote bellis non minus ipsis deditorum; imo aptius illud aliis populis adhuc congruere nullus dubito, siquidem nequidem probabile est gentium bellicosa feudorum inventum in acceptis ferendum esse, cum illud eo tendat, ut nimia evitari possit bellorum frequentia, ceu jam ante monui, dum nimirum victor tali beneficio delinire devictorum animos studet, ne iterum adversus se ad arma ruant, quod prudens consilium inventorem arguit populum non tam bellicosum, quam potius ingeniosum, ingenio autem præcos Germanos alios

po-

populis inferiores fuisse nemo negat. Atque ex hæcenus deductis per se concidunt etiam reliquæ tres *rationes Struviana*, adeo, ut plane non sit opus iis speciatim referendis operam & chartam impendere.

§. XII.

Longe autem minus adhuc ullum consensum merentur, qui vel a Romanis vel a Gallis feudorum repetunt originem, hos enim plane sana ratio fugere videtur. Et quamvis unicus, quantum constat, sit CONNANVS qui Galliam fert acceptam, complures tamen & satis celebres JC-ti Romanis eandem asserunt, puta BVDEYS, CVJACIVS, HALOANDER, LAZIVS, MVDEYS, HANNETONIVS, TAVRELLVS, VIGLIVS, ZASIVS: & horum quidem iterum 4. diversa sunt sententia, nam BVDEYS, ZASIVS & HANNETONIVS feudorum originem arcessere conantur ab instituto veterum Romanorum de Patronis & Clientibus, quo de instituto copiose DIONYS. HALICARNASS. L. 2. *Res. Rom.* nec non BALDVINVS & HOTTO MANVS ad *fragm. LL. XII. tabb.* de hoc enim instituto hæc lex in XII. *tabb.* extat: *Patronus si Clienti fraudem faxit, sacer esto*, de qua conf. GELLIVS *Lib. V. c. 13.* horum Clientum mentio in L. 3. *ff. de usu & hab. L. 5. si vero §. 1. ff. de his qui offud. L. qui pecun. ff. de pecun. leg.* nec negandum inter veteres illos Patronos & Clientes atque inter Dominos & Vasallos haud exiguam esse similitudinem teste CVJACIO ad *lib. 1. de feud.* adeo ut exin & feuda clientelæ & Vasalli Clientes a recentioribus etiam DD. appellantur; nam & Clientes Patronis & contra hi illis fidem, Clientes porro patronis obsequium & operam, Patroni vice versa Clientibus præsidium & Patrocinium, ut & fit inter Dominos ac Vasallos, debebant & præstabant.

§. XIII.

Altera est opinio HALOANDRI, a qua non multum recedit VIGLII sententia, feuda ad veteres milicias, quarum multa in jure nostro mentio fit, ut in L. *ult. C. de pign. referentis.* Fuerunt autem militia præfectura, Advocationes, Procurationes &c. quæ erant in commercio hominum L.

Omnino *Cod. de inoff. de Test.* Cum nimirum 1) tam in his, quam in feudis commodum percipiatur; & 2) quod ut feuda, ita & militia in bello ac re militari potissimum fuerint usitata, hinc colligit non differre feuda a veterum Romanorum militiis, & consequenter illa apud Romanos coepisse. Vid. *GI-PHAN. l. c. n. 10.* Tertia sententia est *L. ELLI-TAVRELLI* & *WOLFG. IAZII Lib. 1. de Republ. c. 2.* qui putant, feuda a Veterum Romanorum instituto pradiorum limiraneorum & limitrophorum originem sumfisse; quod institutum *LAMPRIUS* Alexandro Imperatori tribuere videtur, utpote quem commemorat, militibus ad limites imperii tuendos contra barbarorum irruptiones, pradia in confinibus imperii sira attribuisse, ut nimirum his donati magis strenue & masculae fines imperii tuerentur, sic videlicet non solum pro publica sed & insimul propria utilitate pugnantes, de quibus fundis agit *tit. 59. Cod. L. XI. de fundis limitrophorum* inscriptus. Quarta tandem est opinio *CYRACII*, qui in *hominibus* speciali sensu in jure nostro ita dictis, quorumque *L. 2. C. de Episc. & Cler.* maxime autem in posterioribus *Inpp.* constitutionibus haud infrequens sit mentio, ut in *L. 4. C. de dignit. & L. un. C. de conductor. & Procur. prae. lib.* feudorum originem sibi invenisse videtur, eo quod 1) iis aequae ac Vasallis pradia & fundi fuerint attributi, & 2) iidem aequae ac Vasalli obsequium debuerint.

## S. XIV.

Tandem *CONNANI* a Gallis feudorum originem repententis sententia nullo alio nititur fundamento, quam quod olim apud Gallos, Principes Viri certos aliquot sibi habuerint devotos, (ut *JVL. CAESAR* eos Latine vocat) quos ipsi *Soldurios* appellarunt, quorum, ceu *Caesar L. III. de bello Gall.* refert, haec fuit conditio, ut omnibus in vita commodis una cum his fruerentur, quorum se amicitiae dederant; porro autem, si quid his per vim accideret, occiderentur, aut eundem casum ferrent, aut sibi mortem consciscerent: adeo ut hi *Soldurii* non absimiles videantur fuisse Comitibus veterum Germanorum, quorum jam supe-

superius facta fuit mentio, de quibus ita TACITVS in L. de morib. German. Eliguntur in iisdem Conſiliis & Principes, qui iura per pagos vicorſque reddunt. Centeni ſingulis ex plebe Comites conſilio ſimul & autoritate aſſunt &c. in quibus Comitibus & electis principes in pace decus, in bello præſidium habebant.

§. XV.

Jam perpendat, quaſo, Lector, quam exigua & ſubinde ſere nulla ſimilitudo inter recensita Romanorum Galloꝝque inſtituta atque feudalia deprehendatur, & quanta e contrario diſſimilitudo & palpabiles differentia eadem intercedant, imprimis autem, ſi vel maxime nulla plane inter eadem diverſitas eſſet, ita ut veritate haud invita dici poſſet, feuda apud Veteres Romanos vel Gallos in uſu fuiſſe, quam abſonum etiamnum ſit & maneat, hinc inferre quod origo feudorum Romanis vel Gallis debeatur, & vix ſatis mirabitur, qui tanti Viri tantos committere paralogiſmos, ne quid gravius dicam, potuerint. An enim vel umbra conſequentia huic argumento ineſt: apud hunc populum tale inſtitutum eſt in uſu, Ergo idem illius eſt inventor. Ratum igitur ſit maneatque, ortum feudorum per ſuperius deducta vel ipſum horum Populorum ortum antiquitate transcendere. Cæterum inter Europæas gentes prima feudorum hætenus obſervata mentio eſt in *Hiſtoria Francorum*. Locus eſt apud AIMONIVM L. *Annal. cap. 14.* Cum Clodoveus regnum ſuum ad Sequanam uſque, ac poſtmodum Ligerim, ampliſſet, Milodunum Caſtrum eidem Aureliano cum totius Ducatus regionis jure beneficii conceſſit. adde GREG. TVRONENS. & imprimis ALTESERRA L. *de origine Francorum*. Quamvis autem ſuperius ſatis vetuſtam oſtenderimus originem feudorum, dum eadem jam in uſu fuiſſe tempore Abrahami, & quidem A. M. circiter 1080. & adeo nonniſi 424. annis a diluvio, ſi quidem bellum inter Regulos illos geſtum incidit in annum mundi conditi 1092. Vid. VSSERII *Chronol.* & jam XII. Reguli illi ante hoc bellum vaſalli fuerunt Regis Chedor-Lao-

mer, nihilominus etiam hoc tempus forsan transcendit origo feudorum.

## §. XVI.

Sed sufficiant hæc de origine feudorum in medium attulisse. Dispicendum nunc paucis erit de ipsa natura feudorum in genere, seu de substantialibus ut & de naturalibus & accidentalibus eorundem. Essentiam autem feudi nobis exhibet genuina feudi definitio, qualis hæc esse potest: *Feudum est ususfructus quidam in re, vel natura vel javis intellectu, immobili alicui constitutus, sub lege mutue fidelitatis, & obsequii illius cui datur.* Notanter dixi *Ususfructus quidam*, digitum intendens ad differentiam inter usumfructum rei feudalis & usumfructum in sensu Juris Romani, quæ satis manifesta erit, si jura usufructuarii cum juri-  
bus vasalli conferamus. Nequit enim 1) usufructuarius rem vindicare, bene autem Vasallus, *II. feud. 8.* quippe non solum usumfructum habet, sed de ipsa proprietate nonnihil participat, quod ipsam Domino abest, nec enim Vasallus sine Domini, nec Dominus absque Vasalli consensu rem alienare potest, dum utrique nonnisi restricta competit alienandi potestas, *II. Feud. 34.* Rem feudalem etiam Vasallus alteri euidam sine consensu domini in feudum concedere, *II. Feud. 9.* nec non feudum adificando, vel alio modo, quo ipsum non redditur deterius, immutare potest, *II. feud. 28. §. si Vasallus juncto II. Feud. 11.* quod usufructuario sane haud licet, *L. 44. & L. 61. & fin. ff. de usufr.* nec 2) fructus non ab ipso vel alio ejus nomine separati sunt usufructuarii, sed proprietarii, *L. 13. ff. quib. mod. us. am.* cum vice versa Vasallus fructuum a quocunque separatorum sit dominus *arg. 2. Feud. 23.* 3) usufructuarius ne quidem usumfructum alienare potest, *L. 66. de Jure dot.* quod utique licet Vasallo, 4) non opus est consensu usufructuarii, si dominus rem alienare velit, *L. 3. §. ult. ff. usufruct. quemadm. caveat,* cum o contrario feudi alienatio sine consensu Vasalli fieri nequeat; 5) usufructus est servitus, *L. 25. de V. S.* jus autem Vasalli in feud.



feudo est species domini, nimirum dominium utile, hinc 6) usufructus actione confessoria petitur, Vasallus autem actione utili in rem seu rei vindicatione gaudet, 7) usufructus jus regulariter morte usufructuarii expirat, utile dominium regulariter transit ad hæredes, 8) usufructuarius thesaurum in feudo, horto vel domo usufructuariis inventum proprietario restituere tenetur, minime vero vasallus, STRYK. in exam. Jur. feud. cap. 2. qu. 14. § 18. 9) Vasallus, minime vero usufructuarius immunis est a cautione L. 15. §. 1. ff. qui Satira. cog. SCHÖPFERS in synt. jur. priv. ad L. 11. tit. 8. n. 15. 10) Vasallus servitutum constituere & acquirere potest, minime vero usufructuarius.

## §. XVII.

Dictum etiam in definitione fuit, quod feudum in re immobili seu natura, seu juri intellectu tali, constituitur, cum utique res mobiles sint duplicis generis, naturaliter nimirum & civiliter tales. Naturaliter immobilis est res corporalis, quæ natura sua moveri nequit, e. g. fundus, hortus, adificium, sylvæ &c. quemadmodum civiliter immobilis est res quæ a lege rei naturaliter immobili æquiparatur: atque hæc æque qualitaris feudalis est capax, quam illa. Duplicis autem iterum hæc sunt generis, aut enim ideo rei immobili æquipollent, quod ad rem quandam immobilem pertineant, ita ut ab ea nequeant, civiliter loquendo, separari, e. g. animalia, instrumenta & alia, quæ ad fundi, sive prædii instructionem & culturam pertinent, quæ una cum fundo utique in feudum dari possunt, ROSENTHAL cap. IV. conclus. 4. n. ult. pariter & machinæ atque tormenta bellica &c. in feudum una cum castro seu fortalicio concedi apta sunt, KNICHEN de vestitur. pact. parte II. c. 4. n. 6. & si hoc factum fuerit, ad hæredes feudales spectant, ita ut hæredes allodiales defuncti Vasalli eadem illis restituere teneantur, ROSENTHAL c. l. aut ideo res pro civiliter immobili reputatur, quia rei immobili adhæret, ut sunt res incorporales, varia e. g. jura in rebus im-

immobilibus constituta, quæ inter prævalent illa, quæ vulgo *Regalia* dicuntur, atque in majora & minora dividuntur. Hujusmodi autem res in feudum dari posse nullum est dubium, & separatim quidem, quoties usum præbere possunt, licet rem corporalem cui coherent, quis non possideat, alias enim non nisi una cum re illa corporali tanquam subjecto inhaesionis qualitatis feudalis sunt capaces, & tales sunt e. g. servitutes, uti prolixè ostendit FINCKELTHYSIUS *Disput. 3. feud. th. 25.* nec obstat *L. 6. §. 5. ff. de action. emti.*, licet enim hæc lex de casu loquatur, quo quis iter alteri fundi vicini non-domino vendidit, insimul tamen frustraneam & inanem esse hanc ipsam venditionem haud obscure pronunciat.

## §. XVIII.

Jam ex definitione feudi allata colligi poterit, quænam ad substantialia feudi pertineant, nimirum 1) quod non plena proprietas, neque etiam nudus usufructus sed utile dominium alicui sit constitutum, & quidem 2) in re immobili, sive naturaliter sive civiliter tali; ac 3) sub lege fidelitatis mutua. Hisce substantialibus seu essentialibus feudorum contradistinguuntur naturalia eorundem. Notandum enim, quod quamvis substantia, essentia & natura Metaphysicis idem denotent, imo & in ipso Jure Civili ac Feudali dictæ voces nonnunquam eodem plane significato usurpentur, atque exin substantialia, essentialia & naturalia feudorum nihil inter se differre velint CVJACIUS, GIPHANIUS, BORCHOLTEN, CONTIUS, DVARENVS, ex usu tamen apud alios quamplurimos juris feudalis DD. BOCCERVM puta, ZASIVM, CORASIVM, PECKIVM, MOZZIVM, SCHRADERVM, RITTERSHYSIVM, LVDWELLVM, STRUVIUM, BRONHORSTIVM, *naturalia* contradistingui *essentialibus* seu *substantialibus*, eaque in feudis denotare, quæ quamvis non ad ipsam feudorum essentiam faciant, ex illa tamen quodammodo fluere videntur, ac juris auctoritate ita iisdem insunt, ut nisi aliter convenerit, semper adesse præsumantur, & ab *accidentalibus* in eo differant, quod

quod hæc nonnisi ea sint, quæ ex conventionem Domini & Vasalli contractui feudali accedunt. Ita feudi naturalia sunt, 1) quod Vasallus præstare teneatur juramentum fidelitatis, *11. feud. 3. in f. 47. in f. 24. §. 1. ubi fidelitatis vocem denotare juramentum fidelitatis docet textus in 11. Feud. 4.* 2) quod feudum detur in perpetuum, & in successores transeat, *11. Feud. 23.* 3) quod in feudo a masculo quidem acquisito nonnisi masculi succedant, *1. feud. 8. §. filia. 11. feud. 50. pr.* 4) quod Vasallus sit obstrictus ad servitia sive determinata, sive indeterminata, *11. Feud. 27. in fine;* 5) quod in alienatione feudi concurrere debeat non solum consensus domini, *11. Feud. 55. sed etiam* 6) agnatorum *11. Feud. 59. pr.* 7) quod investituram post mortem cujusque domini renovare teneatur Vasallus, *11. Feud. 24.* 8) quod feudum commissa feloniam ipse amittat. *1. Feud. 21.*

§. XIX. Equidem STRYKIVS in *Exam. Jur. feud. cap. III. qu. 5.* ad naturalia feudi etiam refert, quod saltem in immobilibus consistere debeat, sed hoc ad essentialia & substantialia potius quam ad naturalia pertinere manifestum est, cum res mobilis tam naturaliter, quam civiliter, natura sua qualitatis feudalis sit incapax. Miror etiam ipsum *v.l.* statuere, quod ad servitia in specie incerta obligetur Vasallus, cum tamen textus juris feudalis, tam ab ipso, quam a nobis allegatus, nimirum *11. Feud. 23.* expresse tam de determinatis quam indeterminatis servitiis loquatur. Nec satis perspicio, quid per feudi prævia culpa obligationem, quam inter naturalia feudorum loco sexto recenset, sibi velit, nihil tamen aliud intelligere videtur, quam feudi commissa feloniam amissionem, cum ad *1. Feud. 21.* provocet, ubi de hoc ipso argumento agitur. Quod si jam unum alterumve prædictorum naturalium feudi requisitorum deficiat, feudum exinde redditur improprium, quo ipso etiam accidentalialia feudi a naturalibus ejusdem differunt, dum nimirum eadem communia feudorum requisita non diminuunt, sed iisdem saltem aliquid adjiciunt. *LVDWELL. de divis. feud. c. 4.*

C

§. XX.

## §. XX.

Innumeras inter feudorum divisiones, quarum RE-  
 BVFFVS XX. ALVAROTTVS XXII. JOH. THOM. de MA-  
 RINIS autem plane CX. collegit, (ait nec sicquidem omnes  
 complexus, quod satis docent ab ipso haud commemo-  
 rata feudorum species *Belgica*, SANDEO, *Neapolitana*, CA-  
 MILLO de la RATHA, *Gallica & Anglica*, TH. CRAGIO nota-  
 ta) non parum eminent illa, qua feuda in hereditaria & per  
 pactum & providentiam talia, quae hinc etiam *pactio nata* vo-  
 cantur, dividuntur, in quarum differentias inquirere notiter  
 primarius est seopus. Palam autem est priusquam id fiat,  
 de utriusque natura dispiciendum esse. Est nimirum feu-  
 dum ex pacto & providentia tale in quo succeditur nonnisi  
 modo succedendi feudali, seu jure feudali definito, & quod  
 adeo jure sanguinis a primo acquirente in aliquem defer-  
 tur. Nomen inde accepit, quod primus acquirens in eo *pa-*  
*cto* vel contractu suo feudali descenditibus suis jus acqui-  
 sivit, & ipsis de feudo *providit*, vel etiam ex mente aliorum,  
 quod in eo succedatur ex pacto primi acquirentis & *provi-*  
*dentia* seu dispositione juris feudalis. Vocatur etiam *feudum*  
*familiale* item *gentile domesticum*, JASON *prael. feudor. n. 128.*  
 PINELLVS ad L. I. part. 3. n. 84. C. de bon. mat. INTRIGLIO-  
 LVS de feud. qu. 47. n. 6. Germanice Stamm- & Lehen, GAIL. L.  
 II. Obs. 54. n. 1.

## §. XXI.

Hereditarium e contrario feudum est, in quo succedi-  
 tur modo civili sive eo, qui secundum jus civile in rebus al-  
 lodialibus observatur, ita ut a defuncto ultimo possessore ad  
 quemlibet etiam extraneum heredem devolvatur. Quam-  
 vis vero distinctio haec *ad ista se pertinet* in jure feudali non inve-  
 niatur, reperitur tamen passim apud DD. & primum qui-  
 dem apud PILEVM & BYLGARVM, nec analogia jur. feu-  
 dalis adversatur, sed potius iis in textibus, ubi successio feu-  
 dalis pactis imminui posse legitur, implicite approbatur, ut  
 1. feud. 2. pr. 11. feud. 50. pr. dum enim aliis modis licite a com-  
 muni feudorum natura in contractu feudali recedi potest,  
 quid

quidni etiam hoc modo ab ea despectere liceat? Et nun-  
 quid congruit juri feudali pactum, ut Vasallus possit feu-  
 dum cuilibet dare? *ii. Feud. 48.* quare non etiam valere pos-  
 set conventio, ut Vasallus possit quemlibet etiam extraneum  
 heredem habere? Quemadmodum autem hoc ipsum ex-  
 tra dubitationis aleam est positum, ita e contrario maxi-  
 me est controversum, quibus verbis atque formulis consti-  
 tutum intelligatur feudum hereditarium, adeo ut tot opi-  
 niones esse hac de re, quot capita, scribat *BOCERVS de*  
*qualit. & diff. feud. & CONSALVUS tract. feud. c. 5. n. 89.* pro-  
 nunciare haud erubescat: bonum esse in hac materia, si  
 quando casus in praxi occurrat, judicem habere favorabi-  
 lem & benevolam, quippe cum is in tali difficultate & con-  
 flictu opinionum, eam, quam velit, eligere sententiam, at-  
 que adeo etiam amico gratificari possit.

§. XXII.

In primis nimirum disceptatur, si feudum alicui & hæ-  
 redibus suis concedatur (wann einer vor sich und seine Erben  
 beliehen wird) an feudum hereditarium sit constitutum, nec  
 ne. Communior sententia est pro affirmativa, quam autem  
 meam non facio, cum bene noverim, quid contra illam ex-  
 cipiatur, quod nimirum vox hæres, Erbe, proprie denotet  
 successorem quemcumque in universum jus defuncti, *arg.*  
*L. 24. §. L. 170. de V. S.* adeoque & allodialis, in quem jus,  
 quod defunctus habuit a defuncto ultimo rei, in quam suc-  
 ceditur, possessore transfertur, & feudalis in quem a primo  
 acquirente res transmititur, proprie dicatur hæres, Erbe,  
 licet modus & ratio succedendi sit diversa, quando igitur  
 alicui & heredibus concedatur feudum, hac voce generi-  
 ca eam in specie intelligendam esse, quæ subjecta materiæ  
 atque intentioni feudum constituere volentium conve-  
 niat; nec ipsos a vera essentia atque feudi natura despecte-  
 re voluisse præsumatur, sed hæredis nomine heredem feuda-  
 lem intelligere: confirmarique hanc ipsam interpretationem  
 per expressissimum textum in *ii. feud. 34. §. similiter*, ubi ex-  
 pressissime dicatur, si Vasallus feudum habeat sibi suisque

hæredibus, id intelligendum esse de solis masculis. Qui textus me movit, ut communioni sententiæ nuncium miserim, quæ alias magis placuisset, cum verba generalia generaliter sint interpretanda, nisi specialem & restrictam interpretationem antecedentia vel consequentia exigant.

## §. XXIII.

Minus autem dubium est, non feudum hæreditarium, sed ex pacto ac providentia tale intelligendum esse, si illud denique Leibens-Erben concessum sit, cum per eos nonnisi descendentes designari in aprico sit, & restrictio solum ratione sexus ex interpretatione juris feudalis accedat. Ex hæctenus autem dictis facile colligi potest, hæd exigua cautione opus esse, si quis de feudo hæreditario sibi suisque hæredibus prospicere velit, ut nimirum formulas tales literis investituræ inferendas curet, qui feudum hæreditarium clare satis indicent. Tales autem sunt quando feudum concedi dicitur zu rechtem Erbe, Erb-Guth oder Erb-Lehn, wie solcher Erb-Güter alt Herkommen, Recht und Gewohnheit 2c. 2c. item: dasselbe ewiglich zu haben, zu halten, zu nutzen, zu verkauffen, zu versehen, zu vermachen, zu vergeben, zu verwechseln, und an seinen besten Frommen zu wenden, und damit zu thun als mit seinem Eigenthum, quæ formulæ occurrunt in literis investituræ principatus Oelsnizensis in Silesia, & quas pro ratione decidendi inter alia adducit FRANZKIVS in consultatione jussu & autoritate ERNESTI Duc. Sax. super questione an dictus principatus sit feudum hæreditarium, & feminas in successione admittat A. 1647. conscripta, Vid. App. II. HORNII ad Jurisprud. Feud. n. 1. ad evincendum quod dictus Principatus pro feudo vere hæreditario habendus sit, vid. 16. p. §. 42.

## §. XXIV.

Amplissimam autem formulam feudum mere hæreditarium concedendi, omnem litem, an tale concessum sit, præscindentem, affert HORNIVS in Jurispr. Feud. Cap. IV. §. 40. quam huc transcribere hæd piget, cum liber ille non sit in omnium manibus: Wir reichen und leihen Titio

vor sich und alle seine Leibes- und andere Erben, Erbnehmern und Nachkommen, ohne Unterscheid des Geschlechts, Söhnen und Töchtern, und zwar beyden zugleich obgemeldetes Guth zu einem rechten Erb- Allodial- und eigenthüml. Guth und Lehen, auch als sein erworben und gewonnen Guth zu besitzen, nutzen und zugebrauchen, dergestalt und also, daß alle seine Erben, männlichen und weiblichen Geschlechts, und zwar die weibl. Geschlechts mit dem männlichen zugleich in dieses Lehen succediren, Titius auch und alle und jede seine Leibes- und andre Erben und Erbsnehmern, auch Nachkommen ohne Unterscheid, über solch Guth ohne Erforderung eines Lehns herrl. consensus unter den lebendigen und auf den Todes- Fall zu disponiren, zu restituiren, solches zu veräußern und zu verpfänden freye Hand, Macht und Gewalt haben, jedoch aber auch die Lehn, wie sich gebühret, zu verdienen, und solcher, so oft solche zu Fall kömmt, folge zu thun, und sich sonstn damit zuhalten schuldig seyn soll, wie eines rechten Erb- Allodial- und eigenthümlichen Guthes oder Lehn alt Herkommen und Gewohnheit ist.

§. XXV.

Nec putandum est hac & simili formula concedi allodium, eo quod hac vox expresse adhibearur, quæ semper feudo opponitur, II. Feud. 17. § 26. §. 1. obstant enim verba quæ manifeste satis feudum, non vero merum allodium concessum esse indicant, quod si vel maxime etiam factum non esset, nihilominus aliunde forsitan constare posset feudum constituere voluisse contrahentes, h. e. dominum rei dominium utile, sub conditione mutuae fidelitatis in vasallum transferre voluisse: qua de re quoties constat, *allodii* vox nos turbare haud debet, sed ut nota solum feudi hæreditarii, sive talis, quod de natura allodii non parum participat, consideranda est.

§. XXVI.

Per formulam §. 24. propositam constitui dixi feudum *mere hereditarium*, quo ipso innuitur dari etiam aliud non mere hereditarium, quod vocari solet *mixtum*. Etiam hac igitur feudi hæreditarii duplex species nobis confide-

randa erit, ad eo melius introspectiendas differentias inter  
 feudum hereditarium & ex pacto ac providentia tale. Ni-  
 mirum feudum vel ratione solum modi succedendi est ha-  
 reditarium, vel ratione modi & personarum succeden-  
 tium simul. Priori in casu vocatur feudum *mixtum*, po-  
 steriori autem *mere hereditarium*. Quamvis enim DD.  
 communiter hanc esse indolem feudi hereditarii in gene-  
 re statuunt, quod Vasallus de eodem libere tam inter vivos,  
 quam ultima voluntate disponere possit, & quod ad quos-  
 vis masculos & foeminas transeat, licet in literis investitu-  
 ra nihil aliud expressum sit, quam quod feudum heredi-  
 tarium ein Erb-Lehen constitutum sit, minime tamen hac  
 sententia simpliciter est approbanda, cum vox Erb-Lehen  
 non sufficiat ad indicandum in totum, tam ratione modi  
 succedendi, quam personarum succedentium a feudi na-  
 tura recessum esse, sed non aliam diversitatem insinuare  
 praesumatur, quam quod modus succedendi in allodiali-  
 bus feudo sit applicatus, eo nimirum effectu, ut successor  
 factum teneatur praestare defuncti. In genere quippe in  
 contractu feudali haud ulterius a communi feudorum na-  
 tura & indole deflexisse contrahentes creduntur, quam  
 clara verba insinuant, nisi forsitan singulari loci consuetu-  
 dine, concessio feudo hereditario, Erb-Lehen, concessum in-  
 telligatur feudum tam ratione modi succedendi, quam per-  
 sonarum succedentium anomalum. Et quamvis provocent  
 DD. illi ad *II. feud. 48.* non tamen hic textus loquitur de  
 ejusmodi investitura, qua feudum nonnisi adhibito voca-  
 bulo Erb-Lehen constituitur, sed de tali, ubi plenum domi-  
 nium longe significantioribus verbis in vasallum trans-  
 latum.

§. XXVII.

Jam tandem ad ipsam considerationem differentia-  
 rum, quae feuda hereditaria & ex pacto talia intercedunt, tan-  
 quam rei arcem accedamus. Equidem ROSENTHAL *de*  
*feud. Concl. 79. n. 13.* expresse non nisi unicam differentiam  
 feuda illa intercedere statuit, dum pronunciare haud eru-  
 be-



befeit, quod feudum hereditarium a feudo ex pacto & providentia tali in alio non differat, quam quod filius ex dispositione *cap. 1. an agnatus vel filius* jubeatur esse haeres patris, si hoc velit obtinere; sed longe plures extare reipsa docebimus. *Prima* nimirum & principalis differentia inter modo dicta feuda ea est, quam definitiones eorundem insinuant, quod nimirum in feudo ex pacto & providentia succedatur tantum jure sanguinis; in hereditario autem modo succedendi in jure civili recepto, quae omnia jam in antecedentibus explicata sunt. *Secunda* differentia sit illa, quam ROSENTHAL pro unica habet, & quae modo indicata fuit. Ast ne quid dissimulem, fatendum est maximam circa hanc differentiam inter Ddres vigere controversiam, & capitulum illud *1. an agnatus vel filius* verum esse potum Eridos. Primo enim disceptatur an de utraque feudi specie id intelligendum sit, an vero saltem de alterutra; dein, si saltem de alterutra accipiendum sit, utriusque conveniat. Quod primam attinet controversiam, cum affirmativa parum probabilitatis habeat, & ab oppido paucis defendatur, negativam nostram facimus. Majoris autem momenti est controversia altera. Pro feudo hereditario pugnat inprimis HARTMANN PISTORIS, *Lib. II. Quest. 1. n. 71.* ita rationes subducens: cum textus ille disertis verbis inter hereditatem defuncti & feudum ab ipso relictum distinguat, agnatoque integrum relinquat, an repudiata hereditate in feudo succedere velit nec ne; hereditarium vero feudum rebus hereditariis annumeretur, jureque hereditario transmittatur, atque adeo ipsa natura feudi hoc exigente, nemo, siue agnatus, siue filius ille fuerit, id obtinere possit, nisi haeres allodialis fiat, evidens exinde est, dispositionem textus illius feudo hereditario minime convenire, sed de feudo ex pacto & providentia interpretandam esse. Ubi monendum est, videri sphalma irrepressibile in locum hunc HARTMANNI, procul dubio enim in verbis: *nisi in ipso feudo ut haeres succedat*, pro feudo legendum erit *allo-*

allodio, cum alias genuinus sensus verbis illis non constet. Complures autem ibidem allegat secum sentientes, nimirum prater GLOSSAM in d. cap. 1. verbo repudiare JACOB. de ARDIZO, JAC. de BELVISO, ANDR. de ISERNIA, MATTH. de AFFLICT. GUILIELM. a PERNO, CAMERARIUM, DIDAC. COVARRUVIAM & JOH. THOM. de MARINIS. *Idem*

§. XXVIII.

Prater hos autem ex recentioribus consentientem habet BERLICHIVM & ANTHONIVM MATTHÆI, ut alios taceam. In contrarium vero nituntur cum ROSENTHALIO plerique DD. & textum illum nonnisi de feudo hæreditario accipiendum esse tanquam pro aris & focis pugnant, adeo ut hæc altera sententiapro communiore & receptiori habeatur, quam etiam CAMERA IMPERIALIS præjudicis suis comprobavit, BETSCHIVS in *Comment. ad Consuet. feud. ad d. cap. p. 637.* Alii distinctionibus rem conficere conantur, uti BORCHOLTEN *Tr. de feud. cap. 7. p. 2.* ubi ita ratiocinatur: aut feudum est novum, & tunc tam filius, quam agnatus non possunt hæreditatem defuncti repudiare, sed utrumque aut accipere aut repudiare debent, & consequenter tam filius quam agnatus hæreditate defuncti adita, vel feudo accepto ad exsolutionem aris alieni a defuncto relictæ tenetur; aut feudum est ex pacto & providentia, puta pro se & liberis vel filiis concessum, & tunc uterque, tam filius, quam agnatus, defuncti hæreditatem repudiare & feudum retinere potest, nec hæreditate repudiata ad debita defuncti solvenda compellitur. Aut feudum est hæreditarium, & tunc filius defuncti non potest hæreditatem ejus repudiare & feudum retinere, sed utrumque aut retinere aut repudiare cogitur; Agnatus vero feudum antiquum hæreditarium retinere & defuncti hæreditatem repudiare potest, nec obligatus est ad solvendum creditoribus, quod defunctus debuit. Ratio est, quia sufficit in hoc feudo, ut agnatus sit hæres primi investiti, licet non sit hæres ultimi defuncti.



tarium a solis verbis investituræ formam suam habeat. Quamvis enim feudum ex pacto & prov. sit illud, quod sine aliqua hæreditaria qualitate conceditur, nunquam tamen de negativa hac qualitate litera investituræ mentionem faciunt, HARTMANN PISTORIS c. qu. 1. n. 15. Quinto Feudum ex pacto & providentia est feudum proprium; hæreditarium vero est *improprii* species, eo quod ei ex naturalibus feudi requisitis superius recensitis unum vel plura deficiant. Sexto Feudum ex pacto est *uniforme*, minime vero feudum hæreditarium *tale* est, uti ex superius dictis intelligitur, cum enim feudum hæreditarium ex immutatione successionis feudalis in civilem, ex conventionione Domini & vassalli, oriatur, atque illa immutatio non uno sed diversis modis fieri possit, dum quandoque modum saltem successionis, quandoque autem ipsas personas concernit. Priori in casu convenire possunt contrahentes, ut successio allodialis in feudo hæreditario locum habeat vel 1) *jure cognationis tantum*, vel 2) *jure dispositionis mortis causa tantum*, vel 3) *utroque*. Posteriori in casu autem conventio inter contrahentes eatenus variare potest, ut successio deferatur non tantum *descendentibus*, sed etiam *ascendentibus*, & *collateralibus*, & his quidem vel *habilibus tantum*, vel etiam *inhabilibus*; ut nimirum etiam *feminae* admittantur, & iterum quidem vel *successive post masculos*, his nimirum non amplius existentibus, vel *simultaneæ una cum masculis*. Imo feudum hæreditarium non uniforme esse, sed diversas admittere formas, vel ex supra allata divisione feudi hæreditarii in *mere absolute tale* & *mixtum* constare potest.

## §. XXXI.

*Septimo differ.* est, quod feudum ex P. & P. sine consensu domini alienari haud possit; hæreditarium vero talem alienationem admittat, saltem si sit *mere hæreditarium*. Quamvis enim olim Vassallus feudum ex P. & P. infcio etiam domino alienare potuerit, vid. *11. feud. 44. 1. feud. 5. 13, 18. 11. feud.*

feud. 9. CAMERAR. *Repetit. L. Imperialem de probib. feud. alien. p. 8.* Constitutionibus tamen LOTHARII II. & FRIDERICI I. Imperat. *II. feud. 52.* omnis feudi alienatio, tam totius quam partis optima ratione Vasallo interdicta. Cum namque Vasallus plenum dominium haud habeat, & alienatio vergat in domini praesudicium, hinc merito feudum pro arbitrio suo & sine consensu domini alienare prohibetur, ne casu quidem, quo necessitas ipsum urget excepto, *arg. d. II. feud. 9. verb. necessitate junct. II. feud. 52. § 55. BALD in d. II. feud. 9. CVRTIVS JVN. P. 4. qu. 16. n. 107. CLAR. §. feudum quest. 31. n. 11. SCHRADERVS P. VIII. cap. I. n. 21.* Consensum tamen in summo necessitatis casu sine justa causa non denegare poterit Dominus, *CLAR. c. n. II. in f. MYNSIGERVS Cent. VI. Obs. 30. n. 5. ROSENTHAL §. alleg. ab ipso Cap. IX. Concl. 3. n. 9. BORCHOLTEN cap. VIII. n. 70.* Exci- pienda nihilominus hic est illa alienationis species, qua fit per subinfeudationem die *Aster-Belehnung*, quam etiam in feudo ex P. & P. vel infcio domino fieri posse constat ex *H. feud. 9. Vid. etiam Jus Alemann. Feud. C. XXX. & SCHILTERVS ibid. it. Jus Saxon. art. XV. HARTMANN. PISTORIS P. II. qu. 44. CARPZ. P. II. const. 49. d. 14. n. 4.* qua subinfeudatio cum procul dubio, species alienationis sit, quandoquidem particula domini utilis, quod vasallus habet, in subvasallam transfertur, atque dominium utile quoddam subalternum constituitur, *II. feud. 26. §. beneficium.* mirum utique est, hanc solam alienationis speciem sine domini consensu licitam esse. Et ingenue fateatur *JVL. CLARVS L. IV. Sent. §. feudum, qu. 32. n. 1.* se non potuisse hactenus reperire apud *Ddres* aliquam bonam hujus rei rationem, atque specialitatis hujus causam satis concludentem. Ple- rique Interpretum acutissimorum etiam in ea acquiescunt ratione, quod per subinfeudationem jus domini nullatenus deterius reddatur, cum primus vasallus esse non destinat, sed solum mediante eo alius subvasallus iisdem pactis & conditionibus obstringatur.

## §. XXXII.

*Octava differentia* esto, quod Vassallus feudum ex P. & P. non solum nec vendere, nec permutare, nec donare sine domini directi consensu, sed ne quidem, in dotem sive filie, sive extraneæ dare possit, II. feud. 9. §. 1. foemina tamen feudum habenti integrum est, marito id ipsum in dotem tradere II. Feud. 13. Ratio diversitatis est, quod datio feudi in dotem, quæ fit a patre, intuitu filie species est alienationis prohibita, non quidem propterea, quod maritus rei in dotem data dominus fiat maneatque durante matrimonio; hoc enim perinde etiam fit cum ipsa filia marito feudum in dotem concessit, sed ideo, quod dos efficiatur filie proprium patrimonium, L. 3. §. 5. ff. de Minor. L. 16. ff. de relig. & sumt. fun. L. 14. pr. ff. ad L. Falcid. L. 4. ff. de collat. & L. un. §. 15. C. de rei ux. act. At cum ipsa filia pro se dotem constituit, ea dotis datio non est species alienationis prohibita; etsi enim constante matrimonio maritus revera sit dominus dotis, id dominium tamen non est stabile ac perpetuum, sed soluto matrimonio ad mulierem revertitur, eoque respectu adhuc ejusdem esse & in dominio ejus permansisse dicitur, L. 75. ff. de jure dot. L. 30. Cod. eod. & L. 21. §. 4. ff. ad municip. & res dotales marito dicuntur esse alienæ, L. 7. §. 12. & L. 24. §. 5. in f. ff. soluto matrimonio. At quis dubitet, feudum hereditarium vassallum filie, vel etiam extraneæ in dotem dare posse?

## §. XXXIII.

*Nona differentia* sit, quod nec oppignerare sine consensu domini vassallus feudum ex P. & P. possit, cum tamen id ratione feudi hereditarii procul omni dubio liceat. In illo autem citra domini consensum oppignationi locum haud esse certum est ex II. feud. 55. & §. ult. in f. qui ultimus textus difficultatem creat interpretibus propter verba: *pignus consilium*, ceu plane insueta. Illa MATTH. de AFFLICTIS ita interpretatur: *Pignus dicitur consilium*,  
quia

quia consuitur Creditori, nam melius est pignori incumbere, quam in personam agere. Quae interpretatio minus videtur probabilis. HOTTOMANNVS in *b. text.* putat intelligendam forsitan esse antichresin, utpote qua optime creditor sibi consulat, aut etiam pactum commissorium. Aliam adhuc explanationem habet CVCACIVS *Lib. 2. feud. tit. 9. circa fin.* Sed verosimile videtur hunc textum in mendo cubare, & pro consultum legendum esse *consitutum*, significarique, quod nec locum habeat in *feudo ex P. & P.* hypotheca, seu illud pignus, quo absque traditione res pignori supponitur, seu pignus in re constituitur, (ut in generali sensu tum appellatio *hypotheca*, tum *constituti sc.* pignoris conveniat omni pignori, *L. 1. de pign. act. L. 5. §. 1. de pign.*) Non enim solum Domini consensus necessarius est ad eam oppignerationem, quae fit illo interveniente contractu pignoris, quo debitor in securitatem crediti rem tradit, *L. 1. §. L. 9. §. 2. ff. de pign. act.* sed etiam quando absque traditione pacto praetorio intercedente pignus in re constituitur, quod *hypotheca*, in specialiori significato accepta voce, dicitur, *d. L. 9. §. 2.* Licet enim in hac oppigneratione res non tradatur, tamen jus in re in alterum transfertur, & debitore non solvente ad distractionem pervenitur, & consequenter in summum dominii directi praerudicium id vergeret, nisi citra ipsius in oppignerationem consensum effectum desitueretur, VULTEJVS *de feud. l. cap. 10. n. 43.* SONSBECK *P. XII. n. 100.* WESSENBECK *de feud. c. 11. n. 5.*

#### §. XXXIV.

Decima Differentia esse poterit, quod feudum hereditarium sine consensu agnatorum licite alienatum revocari ab ipsis haud queat, optimo vero *feudum ex P. & P.* illam patiatur revocationem. Duplici nimirum jure agnati feudum citra ipsorum consensum ut licite alienatum revocare valent, vel *jure retractus*, vel *jure delatae successionis*, quod posterius jus revocandi *est etiam* & specialiori sensu dici solet, *II. feud. 3. §. sed etiam. II. feud. 26. §. Titius filios.* De alie-

alienatione autem licita seu cum consensu domini facta intelligendum esse hunc §. patet ex *Constitutione* LOTHARII IMP. II. feud. 52. attendendo ad verba: *sine ipsorum permissione*, nec non ex *constit.* IMP. FRIDERICI *ibid.* consideratione habitae verborum: *sine dominorum licentia*; item verborum: *sine permissione illius domini, ad quem feudum spectare dignoscitur.* Præsupponendus autem hic intuitu revocationis ex jure retractus videtur casus, quo Vasallus alienans non habet filios, alioquin enim non video quí proximo agnato præ illis jus retractus competere possit, cum sint proximiores quolibet agnato. Nihilominus BITSCHIVS id haud obscure statuit in *Comment. ad consuetud. feudor. d. cap. 26. §. Titius filios.* Consultit enim agnatis ut in casu quo Vasallus aliquis habet filios, jure retractus utantur, quia tum nimis diu expectandum ipsis foret tempus quo jure delatae successionis feudum revocare possent, post mortem nim. filior. Imo & hujus dubia satis spes esset &c. quod non parum miror, nisi forsitan supponit casum, quo filii vivo patre vel nolunt, vel non possunt ob defectum pecuniæ feudum jure retractus revocare, quod tamen indicandum fuisset, nec absolute dicendum, quod proximi agnati si vasallus alienans filios haberet, jure retractus feudum revocare possint. Cæterum utique longe magis proficua est revocatio jure delatae successionis, quam jure retractus, cum hic pretium a revocante sit rependendum emtori, illic vero minime.

## §. XXXV.

Est illa quæstio non parum est controversa, num filii post mortem Patris alienatoris feudum ex P. & P. jure delatae successionis revocare possint, nec ne? communior sententia est quæ affirmativam detendit, eo quod 1) filiis jus succedendi in feudo ex P. & P. competat, adeoque & revocandi jus, quod illi innitur; 2) quod filii etiam nomine agnatorum veniant, L. 12. de suis & legit hered. 3) quod illis perinde ac agnatis jus quæsitum sit ex prima investitura, & vi hujus feudum



dum illis deferatur; 4) quod nulla plane ordinatione vel alienatione patris, juxta textum in *1. feud. 8.* filius a successione feudi excludi possit; Rationes autem *negativam* tuentium sunt sequentes: quod 1) filius in feudo nonnisi mediante patre, a quo jus sanguinis habeat, succedere possit, unde, Patre cum consensu domini feudum alienante, successio ad filios haud deferri, & adeo nec ipsi feudum jure successione delata revocare possint. Quemadmodum enim si ob delictum pater feudum amitrat, filius etiam feudo privetur, haud aliam ob rationem, quam quod nonnisi per intermedium personam patris feudum devolvi possit ad filium; ita nec succedendi ius habere possit in feudo, quod pater ipse, per quem succedere deberet, alienaverit; 2) quod hanc sententiam confirmet textus in *11. feud. 45.* ut pote ex quo appareat, filios in feudo succedere patri perinde ut haeredes in allodio, unde etiam filii saepius respectu feudi haeredes appellentur, & per hanc appellationem ab agnatis successoribus distinguantur, *1. feud. 8. §. hoc quoque 13. §. si eventulus.* 3) quod ex textu *1. feud. 18. 11. feud. 9. §. 1. feud. 8. §. hoc quoque* constet, alienationem feudi subsistere, quamdiu alienans & ejus haeredes seu filii vivant. Sed fateor mihi etiamnum probabiliorem videri priorem sententiam *affirmativam* praë hac *negativa*, ac ni temporis & chartæ angustia id prohiberet, adderem quæ contra posterioris rationes excipienda putarem. Approbata nihilominus eadem est Ordinatio Elector. Saxon. Torgaviensi tit. *Welcher gestalt die agnaten §. Wann dann die Eöhne ic.*

§. XXXVI.

*Undecima differentia* esto haec: quod *feudum ex P. & P.* constitutum intelligatur licet ne quidem personarum succedentium ulla in literis investitura facta fuerit mentio; hereditarium vero concessum haud intelligatur, nisi ad minimum vox *Erb-Lochen* usurpatum fuerit, quod nihilominus licet etiam in literis investitura occurrat, nondum tamen inde inferri potest feudum mere-hereditarium esse constitutum.

tum, sed solum *mixtum*, uti superius jam ostensum fuit. Duodecimam tandem differentiam hanc assigno, quod in dubio feudum non *hereditarium*, sed ex P. & P. tale concessum esse intelligatur, eo quidem, quod hoc sit feudum *proprium* seu *proprie* dictum, illud vero *improprium* seu *improprie* dictum, cum enim generaliter cujuscunque dispositionis verba *proprie* potius, quam *improprie* sint accipienda, L. non aliter de leg. I. L. 3. §. hęc verba ff. de negot. gest. & L. I. §. hęc verba ff. quod quisque juris, utique etiam in literis investiturę verba magis secundum propriam feudorum naturam & adeo potius de feudo *proprio* & genuino, nimirum ex P. & P. tali, quam de feudo *improprio* & quasi spurio erunt interpretanda. Accedit, quod contrahentes in dubio censeantur id voluisse, quod juri communi feudali est consentaneum, c. cum dilectus X. de consuetud. L. Ex facto secundo ff. de vulg. & pupill. substitut. L. Heredes mei §. cum ita ff. ad Trebell. quę rationes etiam moverunt MATTH. DE AFFLICTIS ad tit. ex quibus causis feud. amitt. n. 270. ut contrariam cui primum addictus fuerat, abdicaret, & hanc ipsam amplecteretur, licet alii alteram illam mordicus defendant, quam controversiam late exponentem vide HARTMANN. PISTORIS Lib. II. Qui I. n. 56. seqq. & 75. seqq. Plures equidem differentias addere potuissem, sed cum illarum pleraque ex supra dictis facile ab attento Lectore erui possint, ulteriori disquisitioni merito supersede.

F I N I S.



ERFURT, Diss., 1730 (1)

ULB Halle


003 749 266

3



TA → OL





P. 392

F. n. 25

1730, 15

F. 5. num. 20, 92

16

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

SISTENS

DIFFERENTIAS FEVDORVM HÆREDITARIORVM  
ATQVE EX PACTO  
ET PROVIDENTIA TALIVM.

QVAM

ILLVSTRIS FCTORVM ORDINIS  
IN ACADAMIA ERFVRTENSI CONSENSV,

SVB PRÆSIDIO

DN. CONR. WILHELMI Streckers,  
J. V. D.

JVRID. FACVLT. ET JVD. ELECT. PROVINC. ASSESS. PROFESS. PVBL.  
ET SENAT. ERFVRT.

PRO LICENTIA

SVM MOS IN VTROQVE IURE HONORES AC PRIVILEGIA RITE CAPESSENDI

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISIONI SVBMITTIT  
AVCTOR

JOANNES FRIDERICVS König  
CAMPODVNO - SVEVVS.

IN AVDITORIO IVRIDICO MAIORI,  
DIE X. MAJL. MDCCXXX.

ERFORDIÆ,  
Literis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

